

1589

frustra ad prælium foederatos elicere conatus , cum fere per  
 quatuor horas provocasset hostem , septem circiter leucas Lu-  
 tetia digressus , per diem se continuit , si forte lacefisti for-  
 tunæ aleam foederati experiri vellent . Id cum frustra cessis-  
 set , Stampas urbem atque arcem cepit . Inde in Beaussiam  
 pergens , Jamvillum recipit ; mox Castellodunum delatus ,  
 Vindocinensem civitatem vi obtinet ac diripit . Vindocinen-  
 sium exemplum pleræque ejus regionis urbes atque oppida  
 sequuntur . In Turonibus deinde magno plausu ac lætitia ex-  
 cipitur , qua die Joannes Mocenicus , Venetorum legatus , ut  
 antea diximus , Senatus literis Henrico redditis , amplissimam  
 Galliæ successionem est gratulatus . Turonibus digressus , Man-  
 siam civitatem circumsegit , tormentis quassatam ditione  
 obtinuit ; civibus pepercit , direptionem inhibuit . Eodem for-  
 tunæ cursu e Vindocinensi , Turonensi , Ambianensi , atque  
 Maynensi provincia foederati ejecti . Anni vero exitu May-  
 nius Pontoisa per insidias potitur . Rex , Falloisa ad deditio-  
 nem compulsa , Brisatum ea inclusum captivum effecit .

*Henrici progressus.**Joannes Mocenicus in Turonibus Senatus gratulationis Regi literas reddit.*

## Finis Libri Decimitertii.